

Oratio de pace ejusq;  
commodis, in illustri  
qvæ ad Salam est,  
Regia Svenonu...

Backman, Philippus Mathiæ,

*F1700 Br.856*




National Library  
of Sweden

BACKMAN

F1777  
Q. 856

Lv. Panel -  
Före 1700  
Lut. Tal uppe.  
(Pr.)





ORATIO  
De  
P A C E

Ejusq; commodis,

In

*Illustri quæ ad Salam est,  
Regia Sveonum Academia*

*Ad Calend. 5. Junij*

ANNO CHRISTI M. DC. LXXI.

*Publice declamata*

A  
PHILIPPO MATH. BACKMAN  
Ostro-Bothn.

---

HOLMIÆ,

Typis NICOLAI WANKIVII, Regis Typogr.



*Dr. Pauli  
Förel. 1762  
Lat. tal. 1762  
(P. 1)*

*Consultissimis, experientissimis atq;  
Prudentissimis Viris*

**DN. BOTHVIDO HÖÖK.**

Præfecto in Korsholmiæ Comitatu pereximio

**DN. JACOBO ROSS**

Consuli in Civitate Waza spectatissimo.

**DN. NICOLAO ERICI**

Præfecto in Laihela Baronatu conspicuo

**DN. MATTHIÆ PAULI**

Judici in Parte Bothniæ orientalis æqvissimo  
expeditissimoq;

**DN. HERMANNO ROSS**

Senatori Wazæ Perindustrio, ut & ibidem  
Mercatori Primario.

**DN. JOHANNI THURONIS**

Civi Wazensi spectabili, ibiq; Mercatori  
accurato.

Promotoribus, Parenti, & Fautoribus omni observantiæ  
honoris & officii genere æternum prosequendis

**D. D. D.**



Consultissimi & Prudentissimi Dni.  
Parens Honoratissime.

**S**tylum dicendi magistrum optimum & præstantissimum, Optimus ipse atq; Præstantissimus dicendi Magister Cicero, appellare non dubitavit. Idq; non injuria. Nam rerum cognitio sine eloquentia muta, frustranea & infrugifera meritò salutatur. Hoc mecum perpendens, styllum summo cum studio excolere conatus sum, non solum ob ejus jucunditatem atq; præstantiam, quæ summa sunt: Sed etiam ut felicior aditus atq; via planior ad res sublimiores ejus beneficio mihi compararetur. Quare antequam aliud exercitii Academici genus in lucem emittere volui, debui ante omnia conatus mei in hoc styli genere vobis aliisq; bonis quibus salus mea curæ est, rationem reddere. Verum de materia deliberanti, nulla grator occurrebat, quam ea, quæ de pace, re nimirum omnibus hominibus gratissima agit. Licet vero non omnia, imo per pauca quod ultrò fateor in hoc qualicunq; meo specimine Ciceronem spirant: veniam eo facilius dabitur puto quod sciatis id non cuiusvis tyronis esse, sed consummatissimi Oratoris. Ideoq; quod honoratissimis nominibus vestris, Viri clarissimi, hoc satù leve exercitium ornari & sub vestro umbone in lucem prodire voluerim, non styli nitor, non artificiosa ac accurata aliqua hujus orationis compositio; sed vester favor atq; benevolentia erga artes

liberales earumq; cultores, facit. Ego enim ab ineunte etate  
tantam vestram benevolentiam, tamq; insignem humanitatem,  
expertus sum, ut illam, si non publica aliqua commendatione  
testatam facerem, in gratitudinis notam nulla ratione effugere  
nec possem nec debeam. Accipite ergò, Viri Prudentissimi  
conatus hos meos qvalescunq; eo animo atq; illo favore, qvo ha-  
ctenus me complexi fuistis illoq; porrò amare pergite. Acci-  
pите, inquam hoc ingenij mei rudimentum observantiae meae in  
vos ac devoti pectoris certissimum pignus. Deus vos conservet  
in commodum Reipub. quam diutissimè ab omnibus imminenti-  
bus malis. Confirmet & corroboret Deus tuam canitiem,  
Charissime Parens, teq; mihi & tuis omnibus quam diutissimè  
superstitem esse velit. Hoc meum maximum est & ex intimis  
pectoris penetralibus profectum votum.

Vester

observantissimus atq;  
humillimus

Phil. Backman.

BENEVOLIS LECTORIBUS  
MAGNUS CELSIUS  
MATH. PROF. ORD.

S. P. D.



Num ex septuaginta  
Sacri Codicis interpreti-  
bus à Ptolemeo Ægypti  
Rege interrogatum, quid  
in Regno optimum videretur? re-  
spondisse ferunt: *In PACÈ popu-  
los continere*. Dignissima hæc qui-  
dem meo iudicio, sapiente viro sen-  
tentia fuit. Nam tametsi pax  
suspecta, & quæ fraudes atq; insi-  
dias in sinu gerit, iusto bello ad re-  
ligionem, libertatem & genuinam  
securamq; pacem obtinendam su-  
scepto

scepto, deterior sit.: tamen non  
minus ob dubiam nimis Martis ale-  
am, prolixamq; malorum seriem.,  
quam secum bellum trahit, quam ob  
felicitatem qvę PACEM consequi-  
tur, neminem omnium esse, mihi  
persvasissimum habeo, quantum est  
qui vivunt hominum in hac terra-  
rum orbe, qui bellum non exsecre-  
tur, pacemq; contra non valde di-  
ligat omniq; honesta ratione am-  
plectendam putet. Adeo ut non  
omnino temere dixisse videatur,  
qui *quovis bello, etiam qualemcunq;*  
*pacem meliorem esse* pronunciavit.  
Silent enim Leges inter arma; sum-  
ma imis miscentur: exulant blanda  
studiorum ocia: nullo loco tuta fe-  
des, nulla securitas: verum rapinæ,  
cædes,

cædes, incendia ubiq; oculis obver-  
fantur. Quanto melius cum mor-  
talibus agitur jucundissimo pacis  
tempore, quo *non*  
*prælia fessos ulla vocant, certos non*  
*rumpunt classica somnos.* Plura ad-  
dere non attinet, quoniam de  
hoc argumento, P A C E nimirum,  
elegantissimam Orationem com-  
posuit literis pariter ac moribus  
Ornatissimus juvenis DN. PHILIP-  
PUS BACHMAN Ostro-Bothn.  
quam hodie post preces vesperti-  
nas in Auditorio Gustaviano de-  
clamare constituit. Qua de causa  
omnes dulcissimæ pacis amantes ci-  
ves Academicos, qua par est huma-  
nitate & observantia rogatos velim,  
ut Oratori nostro per semihoræ  
spa-

spacium benignam dare operam  
non graventur, easdem officii vices  
à nobis data occasione habituri.  
Dabam Upsaliæ à die 28. Maij.  
Anno 1671.

**ORA-**

# ORATIO GRATULATORIA.

*Quá pacem à Deo Sveciæ Regno clementer concessam illi gratulamur.*



Um in amplissimum mundi  
hujus theatrum, rerumq; in eo com-  
prehensarum infinitam ferè molem,  
mentis nostræ oculorumq; obvertimus  
aciem, sane liquidò perspicimus DE-

UM Ter Opt. Max. non ut architectum ab ædificio ab-  
soluto discessisse, sed maxima id cura providentiâq;  
paterna jugiter fovere, moderari & gubernare: quod  
firmum ratumq; esse ex omnium creaturarum  
constanti conservacione, corporum cœlestium perenni  
motu aliarumq; rerum admiranda constitucione  
& mutatione observatum habemus: hujus vero pa-  
ternæ curæ aurâ non omnes æquali fruuntur gradu:  
Nam etsi Deus res omnes sive animatas sive inanima-  
tas à se conditas, omnemq; naturæ cursum conservan-  
do & sustentando paterno moderetur affectu; piis  
tamen peculiaritèr præ cœteris paternum semper de-  
clarat animum, illos enim admirabili modo ex pluri-  
mis vitæ periculis liberat & eripit, atq; illorum vitæ,  
incolumitatis ac salutis tam temporalis quam æternæ

B

foli

sollicite agit curam. Qvalis ergo cura quantaq; beneficia in patriam nostram longè charissimam ex Dei clementia, bonitate & misericordia in præsens redundaverint tempus: nemo certè est omnium, qui non ea quàm cumulatissimè effusa pia mente & devoto agnoscat affectu, exosculetur, atq; Deo patri debere & accepta ferre se profiteatur. Elucent vero præter cætera beneficia in nostram patriam divinitus collata hisce temporibus. Vera religio, quæ quidem patribus nostris prioribus seculis celata, horribilibus mendis, multis obumbrata nebulis fuit, sed nunc, laus Deo, pura clara & perfectæ fulget Evangelij lux Sacramentorumque legitima administratio in optatissimo existit flore. Fertilitatem quoque frugum non modicam omnibus terrarum locis hisce annis cuncti cujuscunque conditionis sensere. Commerciorum commoditas iam in summo vigore est, quam non ita pridem perexiguam fuisse constat: nam cum memoriâ repetimus priora tempora, quibus maria terraq; undiquaque obessæ fuere bello, omniaque in eo strepuere armis, tum certè reperimus multis vitæ periculis, laboribus, molestiis, imo vitæ jactura mercaturam fuisse exercitam, sed iam reconciliata pace, unusquisque cui privilegia mercandi sunt concessa, summo cum gaudio sine temporis dispendiò, quæstu uberissimo ad utilitatem suam & Reipubl: iis uti potest. Magistratu

gistratu præterea gaudemus optimo, nam si in pro-  
scenium gravissimas quondam sub Christierno Ty-  
ranno servitutes & crudelitates in hoc regno exerci-  
tas, provocemus. Is profectò licet non solum caput  
regni esset, sed etiam eius fidelis tutor & defensor sa-  
lutari debuisset. DEUM tamen æquè ac homines con-  
contemnens omnes nefandæ immanitatis & insolentia  
egressus est gradus. Hinc apprimè liquet quan-  
tam divinitus donum est Magistratus, qui leges ritè  
ferat, interpretetur, & tueatur: quorum exercitium  
quam salutare atque necessarium sit belli tempora  
nos satis superque docent. Illis enim ardentibus, effi  
Magistratum Respubl: cordatiorem habeat, ipse ta-  
men leges rite disponere, administrareque magno  
cum damno & jactura Reipubl: nequit: sed veluti  
nauta fluctibus se accommodare cogitur: ita etiam  
cum Magistratu comparatum est, ut necesse sit ipsi  
sæpe omnes leges civiles negligere, administrationem  
earum legitimam cum Reip. corruptione & periculo  
eversiois suspendere. Silent enim iuxta proverbium, le-  
ges inter arma cū cōtra pacis tempore omnib' bonis  
sint saluti. quæ beneficia tanti sunt ponderis ut queli-  
bet ad gratias Deo agendum alliciant infinitas invi-  
tentq; Verum si rem ipsam accuratius rimari volu-  
erimus invenimus inter tot beneficia divina. Pacem,  
non infimum tenere locum, ejus enim natura & indo-

les est ejusmodi, ut ea nihil sit salutaris ac populari-  
us, ut pote qua non modo ii, quibus natura sensum  
dedit: sed agri, tecta, parietes latari atque exultare  
videntur. Namque ut poeta ait.

Pax optima rerum.

Quas homini novisse datum, pax una triumphat  
Innumeris potior: pax custodire salutem.

Et cives æquare potens.

His de causis me ad dicendum motum & excitatum  
esse fateor præcipue cum patria nostra clarissima tot  
annis bello fessa, clementiâ tamen divina serenissimi-  
que Regis *Caroli Gustavi* glorioſſe recordationis mole-  
ſtis atque periculis, intolerabili durissimaque à cer-  
vicibus nostris depulsa servitute, ad hanc quâ iam  
summâ cum voluptate fruimur, libertatem, quietem,  
fidamque subditorum concordiam perducta sit, ut  
nihil ad felicitatem civilem deesse nobis videatur. Re-  
ctè igitur ego cum omnibus cordatioribus de tanto  
beneficio Patriæ gratulari possum: & si hoc cuilibet  
proprium & familiare est ob viliorem rem triumphare  
multo magis ob pacem, quæ & privatim & publi-  
cè salutaris est. Prodest enim publica hæc tranquil-  
litas illis, quibus Deus sua manu tradidit imperium;  
huius umbone suo ritè frunguntur officio, subditos  
certè agnoscere Deum & colere docent, leges politi-  
cas jurè divino & naturali congruentes condunt, ea-

rum.

rumque existunt executores ; imo tuentur bonos & virtutum æmulatores contra petulantiam & malitiam impiorum. Pax igitur non injuria saluari meretur arbor illa procera & latis diffusa ramis sub quâ aluntur & quiescunt subditi. Neque minus prodest subditis, huius enim beneficio omnes in quiete victum sibi quærunt, sumptus ad gubernationem conferunt necessarios, reverentiâ & amore prosequuntur Magistratum: quem si odio habeant, id Reipubl. exitio est. *Multorum enim odii nullæ opes resistere possunt inquit Cicero.* Prodest etiam nobis artium cultoribus: nam prioribus temporibus quid magis obstaculo & ruinæ fuit Musarum alumni quam ardor belli, qui non modo victum & libros, verùm & Academias, literarum officinas abstulit illis, iam vero summa numinis indulgentia studia nostra promovere licet, finemque illorum feliciter attingere. Ultimò prodest pax jucundissima omnibus familiæ membris, Marito in blando matrimonio vivendo cum uxore, uxori in obediendo marito, Domino in regendo servo, servo in exequendis mandatis Domini, parentibus in educandis & castigandis liberis, liberis in obsequiendis & honorandis parentibus. Hoc unicum in votis habeo, ut rem tam utilem dignis depingere coloribus possim: sed fateor tantum flumen ingenii, dicendi, scribendique tantam vim tantamque copiam in me

non sitam esse, quare extremis lineis eam adumbrare  
conor : cum in hoc rite pertractando consummatissi-  
mæ eruditionis viros suam occupare non pigeret in-  
dustriam. Erigit vero me ad dicendum atque ultra  
me ipsum argumenti rapit raritas, commoditas & am-  
plitudo, tam vestrorum vultuum serenitas, benevolē-  
tiam præ se ferens singularem. Nec animi pendeo  
quin, Aud Exopt, quod meæ deest facundiæ id com-  
moda atque benignissima vestra compensare inter-  
pretatione placeat, & licet expectationi vestræ me  
satis facere posse dubitem, certus tamen sum de ve-  
stra benevolentia & attenta auscultatione. Si memo-  
riâ prioribus gesta seculis recoluntur, tum certe subit  
animos nostros, luctuosas clades, urbium, provincia-  
rum combustiones, templorum, academiæ fundi-  
tus everfiones, atque promiscuas hominum strages  
exitisse : cui publicæ calamitati totus terrarum inge-  
muit orbis copiasque effudit lacrymas? tum squalore  
urbes civibus destitutæ obsitæ fuere, tum agri prata-  
que sine cultoribus luctu redundavere, tum pecora  
luam nostramque cladem & fortunam conquesta  
sunt: quæ omnia nemo mortalium siccis repetere,  
oculis potest. Sed qui has calamitates humano intū-  
lere generi; alii aliam viam ad hoc faciendum ingressi  
sunt; nonnulli enim per pactum; quidam per vim,  
atque fraudem imperia occupavere. Quæ ratione

Chri;

Christiernus Danorum Rex ad exercendam tyrannidem in patriam nostram pervenit, notius est quam ut multis exponi indigeat. Ille enim impetrata & commissa sibi regnandi potestate jusiurandum fœdusque turpiter & nefariè violavit. Tales grassatores & leones, imperiam Romanum quam plurimos habuit, quorum omnium deterrimus fuit Caligula: qui suscepto imperio, noluit amplius Caligula, sed Opt. Max: Jupiter audire: sed si vita ipsius inspiciatur haud prope à Deorum moribus distare apprehenditur, ut cœno & luto quam Ambrosia dignior videatur. Hic enim statim circa initia imperii sui tantas exercuit crudelitates, multos morbis obnoxios lugubri enecavit modo, quem nec ulla profundior admisisset barbaries. Cujus sanguinarii hominis barbaries demum in summam delinavit tyrannidem: quæ alienum crurorem non in ultionem sed in voluptatem sensit. Ille ut cum animum suum insatiabilem occidendo satiaret, victum superstitibus abstulit, quod ultimum malorum fuit omnium, de aliarum autem Rerum publ: imperantium sævitia, crudelitate & bellorum incommodis nemini non potest esse familiare, qui vel veterum vel recentiorum temporum historiam saltem à Limine salutavit: quæ omnia tanquam peregrina adque instituti mei modum non pertinentia sicco præter-eo pede; cum domestica huius rei, pro

pro dolor , lacrymis digna supersint documenta ;  
quid enim in Svecia prioribus temporibus nisi per  
bella & imperantes non incommodi allatum ? annon  
multi eorum patriam ultimum in discrimen vocave-  
re : praesertim vero Christiernus tyrannus Caligulae  
ante nominati immanitatem longè super grediens. E  
vita enim migrante Stenone Sveciae Gubernatore fi-  
delissimo , cujus continuo in acie virtus & fidelitas  
masculè emicuit : qui cum patriam à Christierni ty-  
rannide defenderet , in proelio lathali vulnere affli-  
ctus pro patriae civiumque incolumitate invictum ef-  
fudit spiritum. Christiernus non ignorans regnum  
viduatum gubernatore, instar palantis gregis fluctua-  
re, cum exercitu à tergo omnes inopinantes circum-  
venit, multamque hominum stragem fecit. Svecia au-  
tem videns omnia sibi arctiora fieri, urgente necessi-  
tate, redemit bellum, Christiernum sibi regem crean-  
do. Hic ante summum imperium à proceribus per-  
missum impetrataque omnium vota ad fidem & obse-  
quium sese ipsos obligantium, specioso indulgentiae  
simulacro benevolum & cordati Regis animum simu-  
lavit. Plura enim quam vulgus in votis habuit, pro-  
misit, quod non solum nuda asseveratione ratum esse  
voluit ; sed & diplomate & Sacramentis religiosè  
sanxit. Sed ecce, peior odio benignitatis simulatio  
erat : nam commissà sibi regnandi potestate insatiabi-  
li

lis hostis patriæ nostræ factus est, neque divina neque  
humana violare quicquam pensi habuit. Sed heu  
Svecia, quæ paulo ante quasi præmunita gubernato-  
re fuisti fidelissimo, iam in servitum Christierni, san-  
guinis tui insatiabilis persecutoris, redacta es, iamque  
in te ipsius retia inieisti: heu quanta semper rerum  
humanarum inconstantia: quanta inclementia, quam  
quam si nemo ante te expertus est, summam tu ejus  
atrocitatem enarrare potes. Meminisse animus horret  
impedimenta eo seculo literis objecta, quas necessum  
fuit inter armorum strepitus incultas jacere: si illas  
sine obstaculo pertractare permissum fuisset, certe  
cultorum animos miris demulsissent modis, egregia  
perfudissent voluptate & dulcedine: hæc enim stu-  
diorum indoles est, quod cum res cæteræ, Cicerone  
teste, *neque temporum sint, neque ætatum omnium, neque locorum:*  
*studia tamen adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secun-*  
*das res ornant adversis per fugium & solatium præbent:* Sed  
quid pejus, mœstæ patriæ contingere potuit. Christi-  
ernus ipse, ut aliarum artium ita etiam liberalium,  
hostis & persecutor fuit. Omnes ergo tunc vocibus  
& gemitibus tritum hoc sibi applicavere *Mens sine do-*  
*ctrina est quasi mortis imago:* nam quid miserius est quam  
miserum & expertem literarum esse. Verum ut atro-  
citatem Christierni clarius mentibus vestris repræ-  
sentem illam in pauca conferendam esse existimo:

C

nam

nam si omnia in hoc prodigioso & inhumano principe  
occurentia referrem, quis sine magno stupore at-  
que ingenti horrore præberet aures. Quid loquor  
de cibis aliisque vitæ necessariis, quæ Christiernus  
nemini relicta esse voluit. quid de servitute, quam si-  
bi per ejus dominationem ipsimet suâ sponte indu-  
ebant. quid de carceribus, quibus multi innoxii usq;  
ad necem detinebantur. Quid de contumeliis, quas  
omnes proceres regni ante in summo constituti ho-  
nore afficiebantur. Hinc in perpetuo metu, illos  
continenter versatos fuisse clarum est, nunquam  
enim ob morti destinatorum innocentiam suorumq;  
calamitatem, nec ulceratum pectus suspiriis, nec mœ-  
rorem ob lacrymis prodere audebant, cum non so-  
lum sermonibus sed & vultui, planctui, gemitibus  
denotandis adessent exploratores. Quid denique de  
cruciatu corporum & acerbissimis mortis generibus  
in nostros cives excogitatis dicam, in quibus certe  
ejus ferina occalebat rabies; non enim crucifixorum  
flebili voce & ululatu, non morientium innoxio san-  
guine dura ejus præcordia commoveri potuerunt. Et  
si omnem in cujusvis ordinis homines scæviciam ex-  
ponere coner: dies pronunciantem destitueret, & ve-  
stra humanitas, Aud, ab auscultatione rei tam atrocis  
abhorreret. quare si adn ostra tempora recurrere vo-  
luerimus non nemini manifestum est, hostiles vicina-  
rum

rum animos atq; intolerabiles injurias *Gustavum Pri-*  
*imum, Carolum Nonum, Gustavum Adolphum,* ad continua  
bella partim suscipienda partim propulsanda pertra-  
xisse. His enim remediis cum alia non valerent in-  
sultationi hostium obviam ivere Reges memoriae glo-  
riosis. pacemque Martis aleâ, hostium internecone,  
nafragiis, & sexcentis belli artibus quæ vivere, quam  
tamen non sine summis periculis, multisque exan-  
thlâtis laboribus hosti extorquere potuere: ut histo-  
riæ passim nobis ostendunt. Jam autem postquam  
Sveciæ regnum pluribus bellis, calamitatibus non-  
modo fessum & exangue sed & exilio proximum vi-  
debatur: singulari Dei clementiâ & bonitate, qui  
nos omnes absque nostris meritis paterna complecti-  
tur affectu, & invicta Regis Sereniss: *Caroli Gustavi*  
glorios: memoriæ virtute tranquillam pacem, liber-  
tatem ac spiritum recepit. Per plurima sunt divin-  
tus beneficia imo innumerabilia, sed nullum eorum  
tantam jucunditatem & fructum humano affert ge-  
neri, quam tranquilla pax, nec quisquam tantum ul-  
lis aliis lætatur quantum paci. Cujus encomia licet  
nec alia suis destituantur laudibus, ut par est, flexani-  
mis illa regina, quam eloquentiam vocamus; vix dig-  
nè extollere suisque depingere coloribus potest. Re-  
cte igitur Augustinus locutus fuit, cum dixit. *Pax*  
*tranquilla, bella compescit, iras comprimit, nescit extolli, nescit in-*

*flari:*

flari: hanc qui acciperit, teneat, qui perdidit, repetat, qui amisit exquirat: quoniam qui testimonium pacis observare noluerit, ad hereditatem Domini non poterit venire. Hinc certe comprobatur talem thesaurum esse pacem ut in rerum natura nihil gratiosius & amabilius audiri possit: nihil delectabilius concupisci: & nihil utilius nihilque fructuosius possideri. Miseriae permultae, prodolor, sunt, quibus genus humanum obnoxium est, bello tamen nihil detestabilius nihil magis mortiferum esse potest. Agnoscit enim hoc non Deum qui princeps pacis, concordiae in sacris literis celebratur auctorem suum, sed Diabolum omnium malorum architectum & inventorem, qui primum in caelis bellum Sacro Sanctae Trinitati insolentiam indixit inaudita, pacemque inter Deum & homines diremit.

-- -- -- -- Discordia demens

Intravit caelos hominesque ad bella coegit. Deo certe nihil carius pace & concordia, sed Diabolo nihil acceptius dissensione & bello. Ergo quicumque seminando jurgia dilectionem & pacem hominum dirimit, Diabolo familiariter servit. Concordiam iste omnis mali auctor mutuum mortalium omni turbavit tempore: nam si omnia acerba, ex ejus primava discordia in omnes & singulos vitae humanae status emanantia accuratè perpendamus, certe multa imo innumerabilia visui occurrent, quae haud siccis oculis videre

videre possemus. In regimine ecclesiastico per plurima olim inde exorta fuisse mala, non secus ac hodie animadvertimus, dum seriem omnium temporum percurrimus, quoties quæso, in ecclesia imbecilles non perturbantur, fides illorum indubitationem non vocatur, ignorantia animis non offunditur: pro dolor, charitas inter Christianos sæpissime funditus extinguitur: dici non potest quanta malo rum Iliade Diabolus ecclesiam Christi obruit & obscurat, quando vinculum illud pacis inter homines dissolvit & abrumpit. In politico regimine quantum detrementi discordia affert, nemo vix enarrabit; certum enim est, ubi exulat concordia haud benè regimen administratur; nam omne regnum cuius membra inter se consensum respuunt desolabitur. Testes sunt illi turbulenti qui cum à Mose defecerunt, seditionum tubæ fuere, ac buccinatores. Testis est Absalon, qui cum patre suo concorditer vitam agere nolens, religioni & regioni magnam intulit perniciem. Testis est Seba Filius Bochri qui populi dissensionem concitans, magnum Reipubl: dedit damnum. Multa alia testimonia tam in sacra quam in profana historia obvia sunt, hoc idem probantia. In æconomico regimine per multas & damnosas discordias Diabolus sua discordiâ apparavit primæva. Nam si quotidianam omnium temporum experientiam, quæ veritatis magistra

celebratur, consulamus, monstrabit ea nobis non  
innumeras modo discordias & dissensiones, sed & nu-  
merosissimas æconomiarum everfiones atque corru-  
ptiones. Liberi enim solent contumeliam parenti-  
bus facere, famulus adversus patrem & matrem fami-  
lias insurgit, nurus contra socrum suum, imo quam  
sæpissimè uxor contra maritum quo spectat Poëtæ

Inter cognatos vetus & antiqua similitas  
Immortale odium & nunquam sanabile vulnus.  
Quin adeo hominum natura distorta & depravata  
est ut haud raro ultro ad bella gerenda impellatur &  
trahatur: quidam ambitione, gloriæ cupiditate; alij  
profunda imperij libidine, nulla habita honestatis &  
justæ causæ ratione: Non nulli avaritiâ, qui licet am-  
plissimas regiones imperio suo subjectas habeant; ta-  
men earum fines proferre, & omnem viciniam suæ  
ditionis facere omni studio adlaborant. Quales esse  
solent, qui armorum eventum magis quam causam  
spectant & prosperum scelus virtutem vocant. Ut  
*Julius Cæsar* ante prælium quoddam edicere non  
erubuit

-- -- Hæc acies victum factura nocentem est.  
Quidam ira odio, inimicitia ducuntur, quæ in Magi-  
stratibus multorum bellorum sunt causæ. Ejusmodi  
homines bellum magis magisque avaros rapaces, &  
omni denique humanitate exuta, ad crudam audaci-  
am.

am promptos efficit; ut nec ipsum Deum metuant,  
& venerentur, quem tamen ipsos oporteret sibi du-  
ctorem & auctorem habere, cum sine ipso quicquid  
fusicipitur, etiam sine benedictione perficiatur, multò  
minus homines, quos ut pecora mactant; quasi omni  
lege solutus esset gladius, ut nocentes & innoxii si-  
mul pari jure cadant. Sibi non aliam occidendi &  
perdendi rationem ponunt, quam proprium placi-  
tum & arbitrium. Pessimos fuisse illos homines histo-  
ria passim cum ingenti meminit dolore, qui primi &  
sine causa bella suscepere: utpote Chami impiam  
posteritatem, quæ ex sola dominandi libidine pios Se-  
mi posteros bellis affixit & crudeliter sub jugum mi-  
sit. Quis quæso, Xerxem ad inferendum toti Græciæ  
bellum incitavit, nisi superbiâ & avaritiâ? alia ipsi  
certe causa non fuit, sed ut videretur habere; finxit  
illatas sibi à Græcis injurias, quas ulcisceretur, atq; eo  
prætextu sub acta Græciæ reliquam Europam suo  
subijceret imperio. Quis Alexandrum, debellatis  
Persis contra populos in extremo ad oriente sitos ad  
arma concitavit: nonne ambitioe & regnandi cupi-  
ditate eo ductus fuit. Superbia Antonium perduxit  
ad Augustum bello laceffendum, etiamsi totius ori-  
entis imperium, etiam Augusto annuente obtinere  
potuisset. Talibus vitiis deditus erat Nimrodus Pri-  
mus Assyriorum Monarcha qui veterem & quasi avi-  
tum

tum gentibus pacatè vivendi immutavit morem. Tali-  
bus Julius Cæsar laboravit, qui Europam Afiam &  
Africam bellis labefactavit : & deinde Scythiam &  
adjacentia Germaniæ loca armis peragravit. De illis  
qui primi pacem turbavere publicam eleganter Poë-  
ta canit hisce versibus.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses  
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit.

Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata  
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.

Ita sane est : nam in furore belli videmus alios in exili-  
um expelli, alios fame vexari, alios carceribus includi,  
interitum nunc Magistratus, nunc subditorum, Reli-  
gionis depravationem & rei literariæ jacturam ex-  
istere : & si per omnem calamitatem oculos circum-  
feras, nusquam non videbis oppidorum ruinas, in-  
censos villarum rogos, & miserandam agrorum va-  
stilitatem, ita ut urbem in urbe, regionem in regione  
quæras : quæ omnia vix homo plenæ rationis sine  
mœsto & lacrymoso vultu meminisse potest. Adde,  
quod bellum benè dinque summo cum labore in pa-  
ce parta imo res magnificè ac multis sumptibus con-  
structas brevissimo temporis spatio & non nunquam  
quasi in momento in nihilum redigit. Dianæ Ephesi-  
næ templum annis viginti ab universa Asia multo-  
rum Regam impendio multorumque industriâ Arti-  
ficum

ficum ædificatum: Herostratus homo obscurus detestando incendio delevit: ita facillimum est urbem in bello subvertere quæ difficillimè in pace extruuntur. Accidit haud raro quoq; in bello quod utraq; pars summo afficiatur damno, & cædes cæde sanguis sanguine expietur: licet ambæ spetioso obtentu & diverso consilio arma ceperint. Nam ut Dracones exsugendo sanguinem Elephantum enecant eos, ipsi vero sugendo inebriati moriuntur: ita etiam in prælio pars utraq; mutuis affligitur vulneribus atq; atteritur damnum vicissim dando & accipiendo. Qui igitur bellum malorum omnium perniciosissimum, appellaverint bellum jure meritoq; reprehensione potius quam excusatione digni videntur. Nam licet ironiâ usi videantur: tamen propter deterrima belli adjuncta potius deterrimo vocabulo appellandum fuisset. Non meus hic de bello justo & necessario sermo fuit: non ignoro enim quædam bella suscipi & geri ad voluntatem Dei, quod Sacra pagina, ex Abrahami, Samsonis, Israelitarum, aliorumq; exemplis palam facit. Suscipiuntur vel propter defensionem patriæ, vel religionis, vel libertatis, vel vindictam & pœnam: quæ minimè sunt damnanda. Cum enim graviores injuriæ inferuntur, quæ sine salutis dispendio & jactura tolerari non possunt, armis illæ omnino vindicandæ sunt. Magistratus enim non frustra gladium gerit. Eiusmodi ob causas Patria quoq; nostra longe Charissima non minus pia quam prospera sæpius arma suscipit: ad ejusmodi enim

D

bella

bella non scripta sed innata lege dicimur. Non ergo de his, sed de illis bellis loquor, quæ Deo improbante, Diabolo auctore suscipiuntur. Bella Deo semper ingrata sunt quæ suscipiuntur nocendi cupiditate, ulciscendi crudelitate, in placabili animo, feritate rebellandi, libidine dominandi aliisque; causis ac titulis injustis: talia jure omnino è societate humana ejicienda: qualia etiam in sacris literis memorantur, ut bellum exempli gratia Achaibi. Cæterum nimium diu iam in uno hoc genere calamitatis versor, quare ne patientia vestra, A, abutar, illud in pauca conferam. Hoc tantum dixisse sufficiat bellum esse malorum omnium maximum, est enim pestis & pernicius virtutum, conculcatio honestatis fomentum vitiorum. In hoc cœtus docentium & discientium non minus quam fumo apes dissipantur, adolescentia in militari licentia & omnibus vitiis asvescit, agri inculti lapas & zizaniam ferunt, mercatura aboletur, latrociniis maria & terra obsidentur, homines innocentissimi cæduntur. Cives fortunis spoliantur, urbes evertuntur, omniaque in solitudinem rediguntur. Provincias & regiones integras spectare si licet. Annon. Darij regnum amplissimum & munitissimum, ab imis sedibus excisum, & in eotristis fœdaque imago, flammâ & ferro cadentium, ejulantium & toto regno discurrentium hominum: Liberatorum & conjugum carnificina inexaudita: nulla ætatis, nulla sexus habita ratio. Tyrus urbs munitissima, mari undiquaque cincta, atque ob id societatem facilius quam

dominationem Alexandri Magni admissura, victa tamen  
& miserrimo devastata est modo. Ilium veteribus tan-  
topere decantatum, tantis opibus elatum à Græcis tan-  
dem permultas clades captum & solo æquatum est.  
Comprobant hoc idem luctuoso documento Cratæ  
præcipitia fata, ante aliquot annos à Turcis Christiano-  
rum sanguinis insatiabilibus occupata & in servitutem  
subacta. Hæc nobilissima insula, olim Potentissimi im-  
perii splendida sedes fuit, sed nunc, pro dolor, foedissimi  
atq; impiissimi Turcæ receptaculum est. Exuta imperio,  
quod in alios quondam obtinebat, in acerbissima servi-  
tute nunc squalida jacet. Domino subjecta iniquissimo,  
Idololatræ divinam gloriam suæ posponenti: omnia pro  
placito gerenti, absolutum ius vitæ & necis in omnes  
subditos sibi tribuenti. Et quis quæso, omnium regno-  
rum tristissimas calamitates, everfiones atq; ruinas enu-  
merari pausis que verbis includi posse putet; dies certe  
me deficeret, si omnia recenserem, quæ bellis devastata  
sunt Dixi de armis & de malorum serie, quam illa secum  
ferunt. Nunc ad pacem iterum revertar: cuius quidem  
gratiosam & divinam indolem sibi quisq; , ex ipsius de-  
terrimento ut luctuoso contrario æstimare potest. *Contrario-  
rum enim contraria natura est.* Pax Deum Ter. Opt: Max.  
suum principium & causam agnoscit; nam Deus ut est  
ipsa æterna pax pacem quoque hominibus, quos ad ima-  
ginem creavit, prolixè commendavit: etiam nunc post-  
quam per peccatum a deo violata & turbata est, ut diffi-

cillimum sit pacem & concordiam mortalibus inter se  
servare. In pluribus Scripturæ sacræ locis Deus pacis  
auctor dicitur, & homines ad pacem & concordiam  
gravissimè adhortatur interminando, omnem qui non  
pacem cum omnibus quantum in ipso est sectetur, non  
visurum æterna gaudia. Ex adverso vero præmia pa-  
cem inter se conservantibus promittit: pacificos beatos  
pronunciat: atque æternam consequuturos vitam.  
Quare quoque Christus injunxit domum vel urbem in-  
gressuris, vel alicui obviam factis, ut salutationem pa-  
cis offerrent; quâ indicat sibi datum esse à Patre man-  
datum cuilibet pacem tribuendi, & pacem originem  
suam à Sancta Trinitate ducere. Pax etenim morta-  
les, humiles, mansuetos atque pios reddit. Data divi-  
nitus beneficia mortales ad gratias Deo agendas allici-  
unt, sed pax ad huc altius assurgit, efficaciorque vim  
persvadendi hominibus ad cultum Dei habet: nam etsi  
quis beneficiis aliquibus à Deo coronatus fuerit, pace  
tamen si destitutus, beneficiis illis abstinere & usum il-  
lorum intermittere cogitur, & sic beneficia ab homini-  
bus parvi æstimata jacent; sed dum homines pacis sub-  
sidio securi, tuti, vitam degunt, omniaque secundum  
vota quæ appeti possunt, in summa vigent felicitate &  
florent, omnia ad peculiarem quotidianum usum diri-  
guntur; tum homines verissimè adducuntur ad repu-  
tandum secum architectum quendam supremum esse,  
paterna sua bonitate & sapientia se ab omnibus pericu-  
lis

lis hostiumque in sulcibus defendentem ; & ad laudes Deo celebrandum pro tali paterno beneficio. Omnis seculi historia passim homines fuisse asserit, qui pacem, & concordiam sibi animis fixam habuere, eandem coluere, summo acq̄sere studio, acq̄sitamque conservare. Quales sacra historia Abrahamum & Loth cum Patriarchis cœteris fuisse meminit. Profana commendat omnes non ambitione, aut imperii libidine, ira & odio discordias & bella quærentes & amantes. Sic laudatur Augustus, ut homo pacificus, qui suis posteris consilium dedisse legitur, coercendi intra terminos imperii, nam satius esse duxit provincias conservare, quam alias bello laceßere & inditionem subigere. *Plus est servare repertum, quam quæsisse novum* juxta pro verbiū. Unde liquet, quanta jucunditas, quanta utilitas, quantique fructus pacem consequuntur gratiosam, quæ omnia quisquam vix sufficienter eloqui potest, vel pacem suis encomiis & laudibus satis dignè extollere. Est enim pax incitamentum virtutum, conservatio veræ religionis. Remp̄publicam, præmiis & pœnis continet, literas excolit bonas, adolescentiam ad pietatem & virtutem educat, agriculturam defendit; & quod magis est? huius beneficio commercia terra marique sine periculo exercentur, provinciæ ditescunt, civitates ampliantur, villæ augentur & quæ prius inculta fuere, excolantur. Huc facit  
Poëtæ

Alit colonum pax vel in saxis benè

Et quis quæso, singula pacis bona enumerare valet. Sunt ergo omnes illi laude dignissimi, qui pacem amant & quærunt. Cum autem è publica regni salute sit continere in pace populum. Bella ad eandem tuendam & acquirendam gerere & suscipere interdum multæ rationes svadent. Scriptura tale certandi genus comprobatur; nam qui sanguinem profuderit humanum ejus sanguis effundetur ab hominibus. Quod necessum est contingere, si turbatores pacis publicæ potentiores sunt, quod latronum exempla dilucidè demonstrat. Johannem Baptistam milites, quid faciendum esset, interrogantes, non mandat arma abijcere & de castris aufugere, sed estote, inquit, contenti stipendiis vestris, neminem concutiatis neminemque calumniemini. Hinc omnes belli justiferos, bella esse gerenda vident: si enim intra, terminos imperii improbos castigare & reprimere licet, quidni exteros hostes vim nobis inferentes debellare & ferro compescere. Benè Epaminondas, Meneclidi, qui hortari solebat Tebanos, ut pacem bello ante poneret, fallis, inquit, verbo cives tuos, quod eos à bello avocas: otii enim nomine servitutem imponis: nam paratur pax bello: ideoque qui ea frui diuturna volunt, exercitati esse debent. Ex his facillimum est concludere, bella si justa, omnino gerenda esse & Laudandos, qui juventutem armorum tractationem & usum condocerant propter æquam pacem obtinendam

dam & conservandam. Immortalem gloriam & laudem Rex Carolus Gustavus gloriosus: recordationis promeruit, qui suo tempore omnibus vitæ periculis, & proprio sudore patriam nostram diu bellis afflictam & exhaustam continuò gladiorum strepitu erexit & ipsi tranquillam acquisivit pacem, acquisitamque defendendam reliquit. Ut jam, Dei beneficio, in pace cuique vivere liceat. Nihil nunc amplius felicitati dēst nostræ. tanta nobis abunde à Deo nostro prædita sunt beneficia. Nobis ergo & ævi hujus felicitati gratulemur. Deum tantæ felicitatis auctorem devotis prædicemus animis, ipsique pro tantis beneficiis laudes & gratias in æternum celebremus, ut nomen ejus apud nos perpetuo sanctificetur & pacem nobis det æternam. Consultum ergo nobis est, quorum fortuna & conditio perpetuò in ancipiti est, nam

Fortuna nunquam sistit in eodem statu

Semper movetur, veniat & mutat vices

Et summa in imum vertit & versa erigit,

Consultum, inquam, nobis est benignissimum Deum in summâ habeamus veneratione, proximumque diligamus nostrum, ne ob inobedientiam, ingratitude, horrenda peccata, hac felicitate, quâ fruimur excidamus & orbemur, & aliis ea, quæ nobis ademit, traditurus sit. Sveciæ hæctenus, laus Deo, cœlestis affulsit, gratia, sed quid luctuosius auditu est, quam Sveciam, cui tam benigna fortunæ afflavit aura, & in tanta Dei  
in

dulgentia adeo effrænata esse ; ut contemptus Dei,  
virtutum neglectus animos plurimorum occupaverint  
& obduraverint: periculum est negulæ dediti, libidine  
maculati, ebrietate suffocati, avaritia intolerabiles, odio  
& ira fracti? qui certè multi sunt æternis pœnis obno-  
xii fiant. Sed ne diutius patientia vestra (Aud Exopt)  
abutar, hic pedem figo. Atque me ad Deum conver-  
to, humillimis animi orans suspiriis, ut nos ulterius hac  
aurea coronet pace, omnem Hæreticorum maculam à  
patria nostra avertat. Magistratum & subditos tueat-  
tur, verbi sui lucem nobis luculenter radiare sinat, nosq;  
amare virtutem & veritatem intelligere faciat.

In nominis sui gloriam nostramq; æter-  
nam & temporalé salutem.

Dixi.

F I N I S.

